

sub aliqua specie unitas transferebatur ad antecedentem speciem, ita hinc unitas a vicina specie antecedente mutuanda sit, ac resoluenda, unde scias inopiam superioris numeri, a quo subtrahendum est. Hæc præcepta nihil nec novi habent, nec difficultatis. Etsi autem absurdum videtur maiorem numerum a minore subtrahere, tamen in Astronomicis calculationibus id subinde occurrit, cui inopiæ ita subueniendum est, ut ei numero, unde subtrahendum est, adiungas integrum circulum, & postea expedias subtractionem. Sicut enim in additione integros circulos omnes abijcere solemus, ob eam causam, quam supra commemoravimus: ita vicissim in subtractione, quoties maiorem numerum auferre oportet ex minori, eidem minori integer ac quasi reiectus circulus, quem stella proximè perambulavit, adiungendus est, ut ex eo tanquam priori, alter numerus tanquam posterior pars subduci queat. Habet autem hæc pars logisticæ usum in uenandis differentijs numerorum aliorum, tum eorum qui in Canonibus Prosthaphæreseon collocantur, ex quibus sanè differentijs τὸ ἐπιβάλλον siue pars proportionalis elicitur, ut aliquanto post dicendum erit. Item in diuisionibus, & radicum extractionibus usum habet. Item quoties ἐποχὴν æqualium motuum aliam quæ constitutam in tabulis seu nostram aliquam antecedit, firmare seu fundare libuerit. Cuius rei & aliarum præceptionum exemplum sanè hoc sumatur Epochæ æqualis motus ☉ simplicis ad initiū annorum CHRISTI saluatoris nostri est 4. sex 32 par. 29 1^a, 51 2^a, 32 3^a, 55 4^a, Libet autem retro constituere epochen, quæ hanc plenis annis bis mille antegreditur. Ex canone igitur æqualis motus ☉ simplicis respondent duobus millibus annorum 5 sexagenæ 46. part. 47. 1^a, 23 2^a, 54 3^a. 42 4^a, quæ ab epocha annorum Christi deducenda sunt, adiecto prius circulo, id est 6. sexagenis partium, sicut monuimus. Eritq; Epochæ noua duobus millibus annorum primordium annorum Christi antecedens 4. sex. 45. part. 42 1^a, 27 2^a, 38 3^a, 13 4^a,

Maior numerus quemodo subtrahendus a minori.

Usus subtractionis.

Epocha retroconstituenda

	10	sex.	32	par.	29	1 ^a .	51	2 ^a ,	32	3 ^a ,	55	4 ^a ,
	5		46		47	23	54		42			
Reliquum	4		45		42	27	38		13			

seu differentia duorum numerorum.

πολλαπλασιασμός.

MULTIPLICATIO.

Etiam in sequentibus partibus logisticæ tantum nuda præcepta recitabimus adiectis exemplis. Demonstrationes enim harum præceptionum petat studiosus lector vel ex nostra scrupulorum Astronomicorum logisticæ in qua copiosior a nobis huius tractationis explicatio

B instituta